

quod quam laudabiliter expresserit Romulus, ex eo patet, ubi vel *Securitatem*, vel etiam ubi licuit, *ulteriore utilitatem* sibi acquisivit.

a) Tac. 6. Ann. cap. 35. b) Salust. de rep. ordin. c) August. ep. 1. ad Bonif. d) Leo serm. 11. de quadrages. e) Tacit. hist. 4. cap. 26. f) pro L. Manil. Orat. 13. n. 14.

XXIV. *Securitatem* pariebat *Regis Ceninnensium obruncatio*. Nam certum est quod exclamat Gruterus: a) *Hui! quantum instar est in Duce exercitus! exutus milite, terris, pecunia, omnibus: si tamen adhuc spirat, tantum abest, ut victus sit; etiam potest vincere. Facile enim invenit exercitum miser Imperator b) letus malis & damnis ditior redditus. c) Id autem Romulus non committit in occulto, ut Mutius Scævola Porsenæ struens insidias d) vel Pompilius e) qui percussoribus domesticis exciso Viriato, Hispanie Romulo, hanc hosti gloriam dedit, ut videretur aliter vinci non posse: Sed in duello fortissimè dimicans Victor evasit. Forfan cum Eumene credere non poterat, quenquam ducum sic velle vincere, ut in se exemplum pessimum statueret. f) Neq; vero in uno Romulo id apparuit. Committebantur postero tempore Horatiis & Curiatis Albanæ & Romanæ reip. fata, g) multiq; id secuti sunt, quos vide apud Camerarium, h) Sapientiores iis, qui puellarum amore irretiti, amoris fortunam armis permittunt, i) Observa tamen ducem temerè se in duello sistere non debere, ne si occubuerit, exercitus animum despondeat: k) remigum hæc est opera, non Gubernatoris l) Hinc Carolus V. à Francisco I. provocatus comparere noluit, m) & Carolus Siciliae Rex cum Petro Arragonio pugnaturus, parcendi sanguinis Christiani ergo, centenos contra centenos mittere decreverat. n) Et ut redeamus ad Duces belli, merito Iphicrates eosdem capiti comparat, o) quod avulso capite mori cogantur animalia, dempto duce animam agat exercitus. Inde Philopomenes Machanidam p) Labienus Ingvio merum q) Lacedæmonii Epaminondam r) in pugna notare, illorumq; obitu plenum victoriæ numerum absolvere voluerunt.*

a) Discurs. ad Cornel. Tac. cap. 10. b) Flor. lib. 3. cap. 21. c) Trog. lib. 27. d) Flor. lib. 1. cap. 10. e) Id. lib. 2. cap. 17. vid. Joh. Freinsh. not. h. l. f) Justin. lib. 14. g) Val. Max. lib. 6. cap. 30. h) Hor. Succisiv. cent. 2. cap. 19. seqq. i) Gregoras lib. 7. cap. 12. Cranzius lib. 2. Daniæ cap. 4. & 22. Olaus lib. 4. cap. 5. Saxo lib. 6. & 7. k) Roder. Castellan. lib. 2. cap. 29. l) Onesander. cap. 33. m) Thuan.

Securita-
tem dabat
1. Regis ad-
versarij ob-
truncatio,
cap. 10.